

Orationes «post Pridie» in ritu muzarabico seu hispano cum sensu epicleseos

Latinitas librorum visigothorum diverso modo explanatur, in genere dictio iuxta auctores uniuscuiusque partis. Quae ad optimam pertinent quae ad declinantem, denique et muzarabici pauca scripserunt: missam sancti Pelagii martyris. Papa Romanus Romensis legitur, declinationis causa ¹. Quam latinitatem muzarabici Cordubensis scholae tanti luminis, tanti splendoris declinantem saepissime usurpabant ².

Nulla exceptione facta neque visigothici neque muzarabici, neque regna christiana Hispaniarum latini sermonis neque ad scribendum neque in liturgia obliti fuere. Visigothici et Suevi linguas vel dialectos suas in liturgiam non miscuerunt, non verterunt; muzarabici lingua utentes in omnibus arabica dum latinae immemores erant (sanctus Eulogius), ergo traditionem latinam tantum observarunt. Ubi in regnis christianis populus suam dialectum romanicam —tunc quoque ubique a latinitate vulgari seu declinanti dicta nascentem— in liturgia prorsus latinum sermonem retinebat. Nullus eorum neque fidem perdidit neque sanctos neglexit, novitatem accipere nolebant... ad protestantica tempora quae medii aevi non sunt etiamsi ab eo dependant... corruptionis causa...

«Toleti per duo saecula arabica lingua in scriptis post Alfonsi seu Ildephonsi VI oppugnationem (1085) adhuc usur-

1 Eustasius Sánchez Fernández-Villarán, 'Lingua Latina in Hispania', *Melissa* 17, 3 (Bruxellis 1987) pp. 12-16.

2 Ioannes Gil edidit, *Corpus Scriptorum Muzarabiorum, sub duobus voluminibus* (Instituto Antonio Nebrija, Madrid 1973).

pabatur, et amplius signis arabicis tunc latina scribebatur lingua»³.

De agitatione adoptionismi auctore quoque Elipando (saeculo VIII) quoad dictionem latinam paula afferantur, saltem ipse auctor visigothorum patrum filius latinam linguam ab incunabulis didiscit, quam in schola perfecit, arabicam in viis toletanis: aut sub magistris musulmanis perfecisset necne, nescitur, secus nemo negare audeat.

ORATIONES «POST PRIDIE» MUZARABICAS QUOAD EPICLESIM

Quoad confectionem Eucharistiae seu transmutationem donorum, denique de ipsorum transubstantiatione etiam in medio aevo ad nostram loquelam; duo in primis ad litem cum graecis orthodoxis, a se ipsis nuncupatis, eminent: et verba dominicae institutionis et invocatio supernae Deitatis quae vocabulo graeco ab omnibus epiclesis agnoscitur⁴; pauci orthodoxi hodierni controversiam saecularem quadam componunt mixtura, et verba dominica et epiclesis sacramentum conficiunt, quod contra ordinem simultatis surget, qua causa brevem discipulorum numerum adipiscitur. Verba institutionis omnes liturgiae suis formulis seu anaphoris praeter sanctorum Adei et Maris Chaldaeorum, Edessae natam, dictam retinent. Attamen eis carere catholici semper negarunt: legem arcani superiorum temporum describendi impedisse; denique hoc saeculo incepto in homiliis Narsai, eorum episcopi, apparuerunt.

Oblationis epiclesis ubi transmutationem donorum, nisi offertorium, a Deo non quaerit: sane a dictis orthodoxis prorsus reicitur. Consecrationis epicleses donorum mutationem petunt: ipsis hac formula, verbis dominicis Institutionis omissis neglectisque, altaris dona statim mutantur; post Institutionem locantur.

Epiclesis oblationis in Adei et Maris liturgia atque in

3 Maria Rosario Pérez Sáez, 'Mozárabe: La tradición que vive', *Cálamo* 8 (1986) 32.

4 Eustasius Sánchez Fernández-Villarán, *De epiclesi eucharistica* (Thesis doctoralis apud Universitatem Comillensem. Matriti 1972).

Traditione Apostolica sancti Hippolyti, antipapae. Epiclesis consecratoria vel consecrationis in ceteris orientalium. Liturgia romana, ambrosiana et medii aevi tantum verba dominica habent, ostendunt. Et gallicana et muzarabica seu hispana multa diversi ordinis miscent.

Nemo unquam commentarium nullitatis protulit, et qui epiclesim consecrationis habeant et qui ea careant ante controversiam publicam transmutationem donorum in altari effici ab omnibus affirmabatur; ad Vantanum Magnum armenos animadvertentem initium litis exsurgit, saeculo XII dimidiato, atque ad nostros superest dies lis.

In genere loquendo muzarabicae post Pridie orationes, quae immediate verba Institutionis sequuntur, elogium sanctorum vel festi ante sacramentum trahunt, virtute eius coelestem benedictionem rogant ut sacramentum accipientes optimam adquirant sanctificationem et veniam (nihil amplius deduci potest) ⁵.

Plerique simplicitate quadam agunt qua causa sequentes ad modum exemplum apponuntur.

Missa in II Dominico Adventus Domini. *Oratio post Pridie*. Deus qui sic dilexisti mundum: ut Filium tuum unigenitum dares pro mundo. Tu haec libamina tibi benedicenda assume: et nobis tuae benedictionis dona largire. Ut qui ob mysterium Incarnationis tuae haec tibi sacrificia veneranda litamus: horum sacrificiorum propiciationibus ab omnibus criminibus expiemur. R. / Amen.

Missa sancti Clementis papae et martyris. *Oratio post Pridie*. Clementissime ac sanctissime Domine: sanctifica haec munera: impuris manibus tibi delibata. Per quae et offerentium accipias vota: et ex ea sumentium cuncta dimittas peccata. R. / Amen.

Quum hanc viam praetermittunt simplicitatis, omnes numerantur cum exemplis nonnullis, gratia compendii ne prolatetur res.

Orationes post Pridie sensu epicleseos oblationis. In missa post octavam Epiphaniae: «ut effundas in his hostiis sancti tui spiritus largitatem» ad benedictionem et liberationem sumentium petit. Quasi eadem Missa V ac VI Domi-

5 *Liturgia muzarabica*, duobus voluminibus. Migne P 85 et 86.

nicarum post Octavam Epiphaniae. In missa I Dominici Quadragesimae adventus Spiritus Sancti «quo sanctificentur oblata» poscitur. Difficiliori intelligentia in Feria IV sacundae hebdomadae Quadragesimae benedictionem Christi et gratum fidelium ieiunium «ut haec libamina benedictione dignificentur virtutis» oratio quaerit. In III ac V Dominicis Quadragesimae atque in feria II Paschae, in octava Paschae, in Natale sanctorum martyrum Iuliani et Basilissae, in nativitate sancti Iohannis Baptistae, in festo sancti Sperati eiusque comitum, in missa de uno defuncto aut benedictionem aut sanctificationem orationes haec sollicitant a Deo, a Christo vel a Spiritu Sancto. In missa festi sanctae Marcianae «ut accepta per mysterium sancti Spiritus» sit oblatio, cuius gratia cunctis accipientibus in vitam sacramenta prosint aeternam, legitur. Denique in missa beatae Mariae Virginis adest «oramusque ut eius (Virginis matris tuae) patrocinio haec oblata sanctifices»: in qua sanctificatio sacrificii a Christo mediate sub patrocinio eius Matris clarissime rogatur.

Ad modum exempli:

Missa in I Dominica post Octavam Epiphaniae Domini. *Oratio post Pridie*: Domine, sacrificia dependentes supplices flagitamus: ut effundas in his hostiis sancti tui spiritus largitatem. Ut dum a te benedicta sumimus: omni nos benedictione refectos et a criminum vinculis liberatos omnibus modis gaudeamus. R. / Amen.

Missa in Dominica I Quadragesimae. *Oratio post Pridie*: Emite spiritum tuum de sanctis coelis tuis: quo sanctificentur oblata: suscipiantur vota: expientur delicta: et cunctis ex hoc summentibus donetur criminis indulgentia: atque aeternae promissionis gaudia sempiterna. R. / Amen.

Missa in Nativitate sancti Iohannis Baptistae. *Oratio post Pridie*: Oramus ergo, Domine, ut hanc oblationem nostram: respicere et benedice digneris: sicut benedicere dignatus es munus Abel, iusti pueri tui. R. / Amen.

Missa in festo sanctae Marcianae virginis et martyris. *Oratio post Pridie*. Te, omnipotens Deus, petimus et rogamus: ut hanc oblationem quam tibi fideli et humili devotione offerimus: suscipere digneris propitius: et nostrae servitutis libamina ipse tibi facias acceptabilia. Ut accepta per mysterium

Sancti Spiritus: nobis sanctificata tribuas postulatione nostrae salutis: et in odorem suavitatis accipias. R. / Amen. Missa beatae Mariae Virginis. *Oratio post Pridie*: Inlustratione tua, Christe Iesu, mentium nostrarum tolle caliginem: nam Virginis matris tuae meritis poscimus adiuvari: omnesque: ut eius patrocinio: haec oblata sanctifices: et sanctificata nostrorum tergant scelerum maculas: et ad tua promissa nos dirigere digneris. R. / Amen.

Nunc *orationes post Pridie* sensu consecrationis. In missa II Dominicae post Octavam Epiphaniae a Spiritu Sancto plenam transformationem fieri haec oratio precatur; alio modo ipsam missa in die Resurrectionis Domini continet; transmutationem «per transfusionem coelestis atque invisibilis sacramenti» missa in Dominico ante Ieiunium Calendarum Novembris ad Patrem orat. Cum sensu liturgiae gallicanae in missa diei sanctae Christinae a Spiritu Sancto «in transformatione» eorum transmutationis petitio continetur. Post Pridie orationes missarum festorum sancti Matthaei et apostolorum Simonis et Iudae similes quoad textum sunt, in quibus gratia commemorationis sanctorum «in altare tuum panis ac vini holocausta proponimus», sed rore vel illapsu Spiritus Sancti dona sanctificationem obtineant et edentibus salutem afferant, absque petitione expressa transmutationis, quae ad tempus transsubstantiatio et vocabitur, compendiose legi licet. Quae missa communis unius martyris a sancti Matthaei non differt. Exempla nonnulla huius generis sequuntur.

Missa in II Dominica post octavam Epiphaniae. *Oratio post Pridie*: Ob hoc ergo quaesumus famulantes: ut oblationem hanc spiritus tui per mixtionem sanctifices: et corporis ac sanguinis Domini nostri Iesu Christi plena transformatione conformes... R. / Amen.

Missa sanctae Christinae virginis et martyris. *Oratio post Pridie*: Haec igitur praecepta servantem: sacrosancta munera nostrae salutis offerimus: obsecrantes te, clementissime omnipotens Deus: ut infundere digneris Spiritum tuum Sanctum super haec libamina: ut fiant nobis legitima Eucharistia: in te Filiique tui nomine: et Spiritus Sancti benedicta: in transformatione eiusdem corporis Domini nostri Iesu

Christi, Filii tui, edentibus nobis in vitam aeternam regnumque perpetuum. R. / Amen.

Missa sancti Matthaei. *Oratio post Pridie*: Haec tibi, Domine, tua servantes praecepta: in altare tuum panis ac vini holocausta proponimus: et in commemorationem sancti tui Matthaei apostoli et evangelistae suscepta: populi tui per has oblationes te iubente vota deferimus: non nostris meritis: sed obsequio suscepti officii. Rogantes profusissimam tuae misericordiae pietatem, omnipotens Deus: ut eodem spiritu: quo te in carne virginitas incorrupta concepit: has hostias Trinitate indivisa sanctificet. R. / Amen.

En duas *post Pridie orationes* in quibus dona altaris diverso modo ipsam ac victimam in crucem pendentem esse omnibus manifestatur, ergo transmutationem donorum cum verbis dominicis factam fuisse. Itaque missa Feriae IV Paschae hostiam altaris ipsam quam pependisse in ligno, ipsam quam resurrexisse esse docet. Alio modo quaedam missa votiva singularis ipsam confessionem agit, dum benedictionem divinam ac salutem accipientibus precatur.

Missa Feriae IV Paschae. *Oratio post Pridie*: Haec est hostia quae pependit in ligno. Haec est caro quae surrexit de sepulcro... R. / Amen.

Missa votiva singularis. *Oratio post Pridie*: Recolentes, Domine, sancte Pater aeternae, omnipotens Deus: praeceptis tuis precamur inclitam tuae clementiae maiestatem: et mysterium passionis Iesu Christi, Filii tui, Domini nostri: ut hic panis quem lignum crucis coxit: et hic calix: quem torcular passionis expressit: benedictionem tuae divinitatis accipiant: veramque salutem sumentibus praestent: ut quicumque exinde sumpserimus: specialem gratiam consequi mereamur. R. / Amen.

Denique ante controversiam efficaciae epicleseos ad transmutanda dona nemo Eucharistiam confectam fuisse a sacerdotibus sive cum anaphora epiclesi consecrationis sive non ergo dubitavit, antea commentarium factum est. Ergo multis notitiis praetermissis quaestionis saltem in ea communia donorum transmutatio sive consecratio sive transubstantiatio conditur, absoluto modo in verbis Institutionis fulcitur. Patres hispani totius temporis neque dubitarunt neque contrariam litem praebuerunt. Nihilominus

haec diversa inveniuntur quae solum rem unam docent: verba a sacerdote prolata non ab intrinseca et propria vi sed Dei agunt, simulque vero postea Christus resuscitatus qui in cruce pependit adest, et ipse nostras supplicationes per festum, per sanctos, per nostra infima uti dum in terra erat audit.

EUSTASIO SANCHEZ FERNANDEZ-VILLARAN